



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

§. 1. An donatio confirmetur, si res donata in testamento relinquatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

professionem non disposuit, fruitur, ut ostendimus in Tract. Theol. de Jure & Just. Et ratio est, quia in casu hoc professio non inducit mortem civilem, quoad effectum donationem revocandi, vel non revocandi, ut dictum est in cit. tract. Ex quo per oppositum colligitur etiam ratio secundi.


1748. Resp. 2. morte civili; quâ maritus efficitur *servus pœne*, confirmari donationem mariti factam Uxori per *L. 24. C. h. t.* à nobis relatum in præced. non autem, quâ fit *servus hominis*. Nam de hac, nihil in jure statutum reperitur; & ratio est, quia sic revocari potest ab eo, in cujus dominium transit, factus servus hominis: secus tamen est, si ex delicto in servilem conditionem est deductus, ut dicitur *cit. L. 24.* Nam tali casu habetur, *tantumquam si maritum ejus natura, non pœna subduxerit.*

1749. Not. autem, dispositionem juris, quâ statuitur, donationem Uxori à marito factam, confirmari, *si factus est servus pœne*, hoc est (si condemnatus, ac mortuus ex pœna, vel in servilem conditionem pœnae qualitate deductus est) esse *in favorem Uxoris donataria*, ut patet ex illis verbis *L. 24. quia donatio, maritalis pudicitia præmio cessit.* Unde non habet locum, si Uxor esset donatrix, & vir donatarius.

1750. Ante tertiam responsonem not. capitis diminutionem esse prioris statûs immutationem, quoad libertatem, civitatem, vel familiam. Triplex enim est, *maxima* nimirum, quæ tollit libertatem; *media*, quæ, salvâ libertate, jus civitatis adimit; & *minima*, quæ salvâ libertate, & civitate, adimit statum familiæ. Sic Jo. Samuel Styrius in *Tit. 16. l. 1. Instit.*

1751. Resp. 3. per solam maximam capitis diminutionem (quæ fit per deportationem, seu exilium) donationem Uxori factam, ceteroquin prohibitam, confirmari, ut res donata, viro mortuo non cedat fisco, si dum viveret, non revocavit? non autem sic, ut non esset revocabilis à viro exule, dum viveret; sic enim definitum est. *L. 24. C. h. t. & L. 13.*

§. 1. ff. eod.



ARTICULUS Ultimus.

Reliqua de donationibus conjugum constante matrimonio.

Præmissis addendum videtur. 1. generaliter non valere conjugum donationes, etiam si fierent per interpositam personam. Nam (*generaliter non valentes, quæ sunt per ipsos conjuges, aut qui ad eos pertinent, aut per interpositas personas, donationis causâ aguntur*) aperte habetur *L. 5. §. 2. ff. h. t.* Si autem talis donatio partim aliam personam contingeret, in eadem *L. & §.* dicitur: *Si aliarum exint, secus rerum, vel personarum causa commixta sit, & separari non potest, non valentes; si separari possit, valere quoad alterum,* non conjugem; his præmissis:

§. 1.

Adonatio confirmetur, si res donata in testamento relinquatur.

Ex hoc, quod donans rem donatam per ultimam voluntatem relinquat, quidam censent, mutatam esse voluntatem prioris donationis; & successivè novam, quæ sit supremi judicii, hoc est, voluntas non donantis, sed testantis. Magnæ autem utilitatis quæstio est, ut notat Sanchez *lib. 6. hic D. 15. num. 7.* an res donata, testamento relicta, confirmetur *in vim donationis*, an *in vim legati*? quia, si primum? res donata transit in dominium donatarii, etiam si hæres non adierit hæreditatem; Nam donatio conjugum, secutâ morte donantis, qui eam non revocavit, irrevocabiliter facit, rem donatam esse donatarii, ut docet Sanchez *D. 14. n. 3.* & retrahitur etiam ad fructus perceptos in vita donatoris, ut dicemus infra; secus autem si donatario solum obveniret, ut *legatum*. Nam sub legato non veniunt fructus, vivo testatore percepti. *L. quis situm. §. penult. ff. de Legat. 1. & legatum non debetur nisi aditâ hæreditate, vel repetitâ ab intestato. L. Eam, quam. C. de fidei commissis.*

In proposita igitur quæstione, non est dubium, priorem donationem confirmari *in vim donationis*, licet res donata relinquatur per ultimam voluntatem, quando in testamento exprimitur clavis verbis;

verbis, quod confirmet priorem donationem, & non utitur verbis, legati, fidei commissi &c. ut rectè notat Sanchez cit. D. 15. n. 7. sic enim clarè constaret, de perseveratione voluntatis donativæ; & habetur L. Ex verbis C. b. t. hoc tamen sic limitandum videtur, ut procedat, quando donatio poterat confirmari in vim donationis; ut, si non caruit insinuatione, cum fieri debuisset; secus enim dicendum foret, rem donatam, in quantum in vim donationis confirmari non potuit, valere in vim legati. L. donationes, quas parentes 25. C. b. t.

1755. Difficultas est, si Testator utatur verbis legati, fidei commissi v. g. Uxori meæ lego, quod ei donavi; an videatur tunc recedere à voluntate donandi, substiturà voluntate legandi? atque adeo, an in hoc casu res donata Uxoris sit in vim donationis confirmatæ, vel solum Legati? Sanchez cit. D. 15. num. 8. docet, videri Testatorem recedere à priori voluntate, & donationem priorem confirmari, ut legatum; quia tamen subjungit eod. n. id legatum potius dici confirmationem donationis, quam ejus revocationem; censet Haunoldus tom. 3. de Just. tr. 9. num. 189. Patrem Sanchez in hoc puncto inconstanter loqui. Videtur tamen dicendum oppositum; quia quando Sanchez dicit, eo casu donationem confirmari ut legatum, loquitur de re prius donata; & quando dicit esse potius confirmationem, quam revocationem donationis, loquitur de perceptis vivo Testatore fructibus rei donatæ. Nam quando dixit eo casu videri recedere à priori donatione, confirmari ut legatum, subjungit: intellige tamen, videri recessum à priori donatione, & confirmari, ut legatum, non quoad fructus perceptos in vita donantis, quod confirmat ex L. cum Pater. §. Pater filia. ff. de leg. 2. ubi deciditur, quando Pater donavit Uxori ancillas, & postea eas eidem legavit, partus vivo Testatore habitos, esse Uxoris.

1756. Cæterum ad quæstionem principalem. Resp. quando verba Testatoris sunt ambigua, an rem prius donatam relinquendo per ultimam voluntatem, per hoc voluerit solum confirmare in vim donationis? an mutarà voluntate relinquere ut legatum? potius pro donationis confirmatione pronuntiandum esse, Casus iste

habetur. L. 14. C. b. t. ubi dicitur, ex verbis, quæ in ultimis voluntatibus inferuntur, licet ad fideicommissum, vel legatum utilia sint, non omnino (nimirum infallibiliter) legati, vel fideicommissi persecutionem dari; sed ita demum, si, relinquendi studio, hujusmodi verba fuerint adscripta; alias (nimirum, ubi non constat de hoc studio, seu intentione) ex senatusconsulto potius apposta censeri, ut firmaret liberalitatem suam, ac ei custodiende, etiam moriens, quatenus firmare potuit dominium, prospiceret. Ex quo sequitur, non eo ipso recessum esse à voluntate donandi, licet testamento rem donatam relinquat, etiam utendo, verbis legati fideicommissi, intellige tamen juxta n. 1754.

Dices. L. 109. ff. de Legat. 1. dicitur: 1757. si quando Uxori sus ea, que virus donaverat, vulgari modo leget, non de aliis donationibus videri eum sentire, quam de his, que jure valitura non sunt, alioquin & frustra legaturus sit; ergo ex hoc habetur, quod, legando prius donata, recessum sit à priori voluntate. Resp. id ex verbis citatæ legis non colligi, sed potius tale legatum donationis confirmationem, esse, quoad ea, in quibus confirmari potest; licet quoad alia, in quibus confirmari non potest, rationem legati habeat. Unde L. 77. §. 17. ff. de legat. 2. dicitur: si partus ancillarum viro donatore nati (qui proprie in fructibus non numerantur) Uxori cedunt, ut dictum est num. 1755. in casu quo ancilla illi prius donata, etiam legata sunt, quantum magis alii fructus.

§. 2.

Quis sit effectus donationis inter Conjuges Confirmatæ?

1758. Quæstio est, an donatio morte donantis confirmata pariat hunc effectum, quod donatarius, fructus vivo donatore perceptos ex re donata, lucretur perinde, ac si statim à principio donationis factæ fuisset rei donatæ dominus? Resp. quod sic ex L. 25. C. b. t. ibi: tunc & silentium donatoris, vel donatricis & specialis confirmatio ad illud tempus referatur, quò donatio conscripta sit.

1759. Ex hoc colliges. 1. donationes conjugum, donantis morte confirmatas, juris-